



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Assertionvm Theologicarvm Sfortiae Pallavicini Sacrae Theologiae Professoris in Collegio Romano Societatis Iesv. Libri Qvinque**

**Pallavicino, Sforza**

**Romæ, 1649**

Cap. 4. De auxilijs requisitis ad actus supernaturales.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38987**



ultimum iudicium practicum  
semper est eidentissimum,  
quia dicit *suppositis his cognitio-*  
*nibus, quas habeo, ita debeo ope-*  
*rari* quod iudicium est verum,  
etiam quando illæ sunt falsæ;  
innititur enim illis tanquam  
obicctis, non tanquam præmis-  
sis, adeoque vt existentibus,  
non vt veris.

#### CAPVT IV.

*De auxilijs requisitis ad actus  
supernaturales.*

71 **A**D omnem actum  
bonum supernatu-  
ralem requiritur gratia illumi-  
nationis ex parte intellectus se-  
cundum illud Pauli *non sumus*  
*sufficientes cogitare aliquid à no-*  
*bis*



*bis, quasi ex nobis. Accedit definitio Tridentini sess. 6. c. 5. hæc autem illuminatio est entitatiuè supernaturalis; aliòquin non vocaretur à Concilio illuminatio Spiritus sanctis; posset enim prouenire etiam à naturà sine dono Spiritus sancti. Ratione huius gratiæ dicitur, bona volitio esse donum Dei, non tantùm quàtenus Deus præbet concursum supernaturalem ad illam cognitionē, cuius loco aliòquin eliceretur cognitio naturalis, sed quàtenus Deus ex speciali beneuolentià offert obiectum congruum. Constat id ex Augustino præsertim l. 83. quæstionum q. 68. quoniam, inquit, neque velle quisquã potest, nisi admonitus, & vocatus, siuè intrinsecus, ubi nullus hominum videt*



videt, siue extrinsecus per sermonem  
sonantem, aut per aliqua signa  
uisibilia, efficitur, ut etiam ipsum  
velle Deus operetur in nobis. Cu-  
ius rei manifesta ratio est, quo-  
niam supernaturalitas ut cum-  
que pertinet ad gratiam suffi-  
cientem, quæ datur ex proui-  
dentiâ generali; ergò aliqua alia  
gratia est inuenienda, ratione  
cuius bona volitio eorum, qui  
re ipsâ benè operantur, dicatur  
speciale donum Dei.

72 Et quidem hoc specia-  
le donū non cōpletur per solā  
propositionem obiecti extrinse-  
ci ita ut post eam propositionē  
quæcumque sequuntur æquē  
sequantur in omnibus sine spe-  
ciali favore Dei. Aliòquin Aug.  
non adeò magnificaret contra  
Pelagium beneficium illius vo-

S 2 catio-



412 *Liber Secundus.*

cationis altæ, & secretæ, per quam credens discernitur à nō credente ex duobus audientibus eandem prædicationem, vel videntibus idem miraculū. Et ratio est, quoniā species naturales missæ ab objecto extrinseco aliquādo quidem sunt tales, vt non excitent ex infallibili lege Dei cognitionem supernaturalem, quia non præbent sufficientem credibilitatem ad actum fidei; & in hoc casu si Deus confortet, & compleat illas ita vt sufficiant ad actum fidei, illud complementum est speciale beneficium illuminationis diuinæ.

73 Si verò sit eiusmodi apparentia exterior, quæ posita datur ex infallibili lege Dei cōcursus supernaturalis interior

(nisi



(nisi enim hæc generalis lex admittatur, numquàm poterunt conuinci tanquam contumaces, qui posità sufficiente credibilitate non credunt, sicut oportet) adhuc est speciale beneficium concurrere potiùs ad hunc actum supernaturalem, quam ad illum. Quandoquidẽ lex illa generalis est quidem de tribuendà cognitione supernaturali, sufficiẽte ad actum fidei, non autèm de tribuendà hac ità clarà, ità intensa, &c. Et ideò dicitur: *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Sed de hoc iterùm in libro *de fide*.

74 Præter hanc excitationem intellectus datur etiàm sempèr antè omnem actũ meritorium motio Dei præueniens

S 3 in



in voluntate, quam motionem  
August. vocat *vittricem dele-*  
*ctationem*, & ideò libro 2. con-  
trà duas epistolas Pelag. c. 9. ait  
*Benedictio dilectionis est gratia*  
*Dei, quæ fit in nobis, ut nos dele-*  
*ctet, & capiamus, hoc est ame-*  
*mus quod præcipit nobis. In quo*  
*si nos nõ præuenit Deus, non solũ*  
*non perficitur, sed neque incoba-*  
*tur in nobis.* Hæc gratia confi-  
stit in motibus primò primis,  
qui sunt amores quidam spe-  
culatiui, & inefficaces de boni-  
tate obiecti consideratà secun-  
dùm se. Hi enim amores quò  
intensiores, & validiores sunt,  
eò magis inclinant volūtatem  
ad actum efficacem practicũ  
& deliberatum: sunt autèm hi  
motus necessarij & non liberi  
quoniàm amant bonitatem ut

præ-



præscindentē à malitià . Itē sūt  
omninò prærequisiti ex vniuer-  
fali doctrinà S. Th. 1. 2. q. 9. ar. 4.  
in corp. *docentis voluntatem in  
primū motū prodire ex instinctu  
alicuius exterioris mouētis.* Om-  
nis enim inclinatio libera debet  
fūdari in aliquà inclinatione na-  
turali ex doctrinà eiusdē S. Th.

75 Probabile tamē est ,  
hanc inspirationem voluntatis  
esse quidem beneficium distin-  
ctū ab excitatione intellectus ,  
sed non esse speciale beneficiū  
distinctum . Actus enim neces-  
sarij voluntatis consequuntur  
omninò ad mensuram cogita-  
tionis , quæ est in intellectu.  
Quòcirca nihil necessarium vi-  
detur asserere, quod Deus in  
hac re deroget legibus naturæ .  
Perindē enim debemus Deo, si



dederit nobis cogitationem, vt  
quatuor adhòc vt resultet amor  
necessarius vt quatuor, quàm si  
dederit nobis cogitationem, vt  
tria, & ( per possibile, vel im-  
possibile ) excitet in nobis a-  
morem necessariũ, vt quatuor.  
Confirmatur ex modo loquen-  
di Cõciliarum, & Patrum; nãm  
Tridentinum sess. 6. c. 5. pro eo-  
dem videtur sumere beneficiũ  
*illuminationis*, quæ pertinet ad  
intellectũ, & *inspirationis*, quæ  
pertinet ad voluntatem: ita vt  
inquit, *tangente Deo cor hominis  
per Spiritus sancti illuminationẽ  
neq. homo ipse nihil omninò agat,  
inspirationem illam recipiẽs, &c.*  
Item Aug. tr. 28. in Ioannẽ per  
illa verba Matt. 16. *Caro, & sã-  
guis non reuelauit tibi, &c.* ex-  
ponens illud Io: *nemo potest  
veni-*



venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, ait. Ista reuelatio ipsa est attractio: ramum viridem ostendis oui, & trahis illum: nuces puero demonstras, & trahitur. En quomodo totum beneficium attractionis constituat in solâ cognitione, quippè ad cuius mensuram attractio sequitur.

76 Etiam in appetitu sensitiuo datur gratia quædam præueniens negatiua, dum coercentur à Deo motus, qui possent impedire voluntatem bonam, quæ gratia consistit in impediendâ excitatione phantasmatum. Et hæc gratia potest esse per se ordinata ad bonum actum voluntatis. Potest etiam in appetitu sensitiuo dari gratia positiua per excitatio-

S S REM



nem phantasmatis mouentis appetitum ad illud idem obiectum, quod est honestum. Sed hæc gratia non est per se ordinata ad bonum: quandoquidem actus honestus non est amor honesti materialitèr, sed formalitèr; *Honestum* verò *formalitèr* non attingitur ab appetitu sensitiuo; & ideò ille motus quantum est ex se, est inclinatio indifferens ad actum honestum, & non honestum.

77 Gratia excitans nō solum est necessaria ad actū bonum infidelibus, sed etiam fidelibus, & iustis. Nemo enim potest aliquid boni velle, nisi præueniatur bonā cogitatione non liberā, quam potuisset nō habere, si alitèr Deus res disposuisset. Habet tamèn illa plus ratio-



rationem gratiæ respectu eorū,  
quibus minùs ea debetur, adeò  
que plus respectu infideliū, quā  
fidelium, plus respectu pecca-  
torum, quā iustorum. Item  
maior gratia entitatiuè requi-  
ritur ad mouendos eos, qui sūt  
minùs dispositi, cuiusmodi sunt  
infideles, & peccatores.

78. Præter gratiam *excitā-*  
*tem, & præuenientem* datur etiā  
gratia *adiuuans, & cooperans,*  
quæ dicitur etiā gratia *comi-*  
*tans.* Item datur gratia *subse-*  
*quens.* Aliquandò apud Aug.  
dicitur præueniens omnis illa  
gratia, quæ non supponit ali-  
quod meritum nostrum, adeò-  
que itā vocatur etiā primus  
actus honestus. Nullum ini-  
tium meritorium gratiæ potest  
præcedere ex parte nostrā. *Itē*



nihil omninò potest præcedere totam gratiam, etiam incompletè, & remotè acceptam, quia illud, quod præcedit quodcumque sit, est gratia Dei, vel includit gratiam Dei. Potest tamèn aliqua occasio præcedere gratiam proximè, & completè acceptam, v. g. conuersio infidelium apud Indos potest pendere ab aliquà naturali occasione, per quam aliquis, etiam ex malo fine prædicet Euangeliū. Aliò qui nō censerentur Rei de omiffa aliorum salute, qui prædicare neglexerunt; ergò bona illa cogitatio interior, quam Deus tribuit, pendet ab illà extrinsecà occasione posità in alieno arbitrio. Et consentit Augustinus de bono perseverantiæ, cap. 14, dicens *habere quosdam*

*in*



*De Diu. Gratià Cap. V. 421*  
*in ipso ingenio diuinum naturali-*  
*tèr lumen intelligentiæ, quo mo-*  
*ueantur ad fidem, si congrua suis*  
*mentibus vel audiant verba, vel*  
*signa conspiciant.*

## CAPVT V.

*An Gratià sufficiens omnibus de-*  
*tur? ubi de potentià collectiuà*  
*& disunctiuà, physicà, & mo-*  
*rali, proximà, & remotà: Et*  
*de illo effato facienti quod in*  
*se est.*

79 **Q** Vicunque habet liber-  
tatem, habet sufficien-  
tes vires ad non pec-  
candum. Peccatum enim sup-  
ponit præceptum, & Deus præ-  
cipiens videt distinctè omnes  
casus possibiles, ad quos præ-  
cep-